

1994

A

7387

3: 2x 06



Q. D. B. V.
 COLLEGII PUBLICI
 DISPUTATIO XIII.
 De
QVASI CONTRA-
CTIBUS, ET MODIS
SOLVENDI,


Ad
Tit. XXIIIX. usq̄ ad fin. Lib. III. Inst.

Qvam
 IN ALMA FRIDERICIANA,
 SUB PRÆSIDIO
DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,
 J. U. Licentiati & Prof. Publ. Extraord.

In Auditorio Majori
die VIII. Julii A. R. S. MDCXCIII,

publicæ ventilationi
 submittit

JO. FRIDERICUS SCHMIDT,
 Argentorat.



HALÆ,
 TYPIS CHRISTOPHORI Salfeldii, REGIMINIS ELECT. BRAND.
 TYPOGR.

171

EDWARD
GOVERNOR
DORMANT

OF THE
CITY OF
LONDON

IN THE
YEAR

1711

BY JOHN SAMUEL'S STRYKER

Printed by J. Smith, in the Strand

in the Strand

at the Sign of the

Golden Anchor

TO BE HAD OF

Every

Bookseller

in the Kingdom

1711





I. N. 7.

Th. I.



Quasi contractus ad similitudinem veri contractus ita dictus, ut quasi possessio, quasi serviana, in quo præcipue differentia est à vero contractu, quippe qui verum consensum, veram conventionem, ac iudicium animi ad validam obligationem requirit. At in quasi contractu nulla est conventio, nullus consensus reciprocus, qui solus verum constituit contractum ultro citroque obligatorium, sed jus propter factum aliquod tacite consensum intervenisse fingit & præsumit, *l. 1. ff. d. negot. gest. l. 5. ff. d. O. & A.* & sæpius quis ignorans imo & absens ac invitus obligatur, vid. Ludwell, *Exercit. ad Inst. Ex. 14. th. 5. l. 6.*

Th. II.

Expediti Juris est, quod hæ obligationes non ex contractu proprie nascantur, neque ex maleficio, vel turpi facto aliquo; si enim factum contineret turpitudinem, erit actio ex delicto vel quasi delicto, de quo *vid. tot. tit. 1. Lib. 4. Inst.* neque ex conventionem, quoniam conventionem interveniente verus foret contractus; sed ex negotio quod quasi ad contractum accedit.

Th. III.

Dantur plures ex quasi contractu obligationis species, quam hæ (1) negotiorum gestio (2) Tutelæ administratio (3) Rerum communio (4) Hereditatis aditio & (5) indebiti solutio exempli causa; Litis contestatio, iudicatum, *l. 3. §. 11. ff. de pecul. communio finium, unde actio finium, regundorum t. t. ff. & C. fin. regund. detentio rei, in qua alius interesse*

A 2

ha.

habet, unde actio ad exhibendum *t. t. ff. & C. ad exhib.* In conditione causa data, causa non secuta, dicit Mejerus in *C. J. A. l. 12. t. 4. th. 2.* eam esse magis quasi ex contractu, quam ex contractu, cum præter mentem dantis & accipientis oriatur. vid. *l. 13. §. 2. ff. commod. & alia plurimæ, quæ videri possunt apud Biccium in Aureis Sect. 14. th. 114.* Verum Imperator hic de illis tantum agere voluit, quæ frequentiores sunt in hominum commercio.

Th. IV.

Negotiorum gestio est actus improprius, vel quasi contractus, quo quis alterius ignorantis, (si enim sciret, mandatum potius esset) etiam hereditatis jacentis *l. 3. pr. §. 6. ff. de Neg. Gest. res vel negotia absque mandato sponte gerenda suscipit, conf. Coll. Jur. Arg. lib. 3. t. 5. th. 4. l. 2. ff. edit. & l. 5. pr. ff. d. O. & A.* & non tantum absentis, ut putat Wesenbecius, sed etiam præsentis, modo geri negotia sua ignoret, nec enim absurdum est, ut quis præsens sit, tamen negotia sua geri ignoret, & vicissim absens quis sit, qui negotium suum geri sciat, & cum possit non prohibeat, vid. *l. 41. ff. d. t. & Vultej. Jurispr. Rom. l. 1. c. 42. p. 221.*

Th. V.

Prima hæc species ponitur inter quasi contractus, propter similitudinem quam habet maximam cum mandato; unde præterea quæ dicuntur de obligatione ex mandato, eadem etiam de negotiorum gestione intelligi possunt. conf. Ritterhus. *ad Inst. h. t. §. 1.* Similis autem est mandato in eo, quod utrobique negotium geratur alienum, dissimilis vero, quod hic sine mandato, ibi cum mandato.

Th. VI.

Magna est lis inter Dd. ad quam diligentiam præstandam negotiorum gestor teneatur, nonnulli defendunt tantum ad dolum, latam & levem culpam præstandam eum obstrictum esse, de quibus Lauterbach. *Compend. Jur. ad h. t. item Dn. D. Menk. in Controv. 4. Civ. Disp. 2. th. 3. & alii.* Ego vero potius sententiæ illorum subscribo, qui levissimam culpam præstandam asserunt, ob hanc in primis rationem, quia se ipsum offerens hoc in se recipere

vi.

videtur, se omnem curam ac diligentiam adhibiturum per *l. 1. §. 35. ff. Depos. l. 24. C. d. Usur. l. 25. §. 16. ff. fam. hercisc.* vid. Illustr. Dn. Stryk. *Cautel. Contr. Sect. 3. C. 1. §. 3. Schilt. ad ff. Ex. 10. th. 63. sq. Excellent. Dn. D. Schrag. Introd. ad Inst. h. t. §. 8. Nonnunquam tamen lata culpa præstatur l. ait Prætor. 3. §. 9. ff. h. t. Imo interdum & casus, veluti si novum negotium, quod non sit solitus absens facere, ejus nomine gesserit.*

Th. VII.

Objectio illa *L. 36. ff. d. R. 7. culpam esse immiscere se rei ad se non pertinenti, hic non valet; sensus enim regulæ est, ut temeritati tantum, perperam & inconsulto & non necessario sese rei alienæ immiscerentium, occurratur, ut si quis alium temere defendat & inconsulto alienæ liti se ingerat, aut negotium suscipiat per l. Eura qui 46. ff. d. minor. vel is qui se obtulit, 25. ff. d. R. V. Potest ergo quis sese rei alienæ sine culpa immiscere, veluti si iusta affectione bonaque fide rem gerat alienam, qui enim id facit, magis officio fungitur, quam culpæ alligatur, l. 2. ff. h. t. Hinc culpa non est, bene & utiliter gerere absentis negotia, amici absentis rem servare, ac amicis officiis & fide colere. Gothofred. d. Reg. Jur. ad l. 36.*

Th. VIII.

Dux ex hoc contractu oriuntur actiones, directa, quæ datur domino negotii gesti adversus gestorem & heredes ejus *l. 3. §. 7. ff. h. t. ut administrationis suæ ratione reddita eo nomine condemnentur, si quid perperam gessit, l. 20. C. h. t. una cum usuris, vel tenetur ad id, si quid non gessit quod gerere debuit. Contraria datur gestori & heredibus, contra dominum & heredes l. d. 3. §. 7. h. t. ad præstandum omne illud, ad quod ex hoc quasi contractu sunt obligati.*

Th. IX.

Communis opinio actionem negotiorum gestorum habet pro civili, per *l. 17. §. 3. commod. quod tamen displicuit, per expressum textum L. 3. pr. ff. h. t. Datur non in rem, sed in personam. l. negotiis gestis 23. C. 3. t. & est bonæ fidei l. 7. ff. h. t. utraqve etiam perpetua, arg. l. 8. C. h. t.*

A 3

Th. X.

Th. X.

Tutelæ appellationem hic generaliter accipimus, ut & curam comprehendat, *arg. l. 101. §. 2. ff. d. condit. & demonstrat.* & in eo tutor differt à negotiorum gestore, quod ille ultro & sua sponte, hic vero ex necessitate officii administrationem suscipiat *L. Tutori 20. C. d. negot. gest.* Tutela autem est munus publicum (ratione necessitatis, proprie enim Reip. munus non est per *L. si duas habenti. 6. §. 15. ff. d. Excusat.*) ad quod cogi potest tutor *pr. J. de excusat. tut. vel curat. l. 9. ff. d. munerib. & honorib.* Hinc tutor etiam si tutelam non gesserit, tamen perinde tenetur actione tutelæ, ac si gessisset, suo namque periculo cessavit, *arg. L. non quasi 4. §. 1. ff. Rem. pupill. salv. fore,* quod secus est in negotiorum gestione.

Th. XI.

Tutori quoque incumbit ex quasi contractu, ut pecuniam pupilli paratam licito fœnori exponat, *l. 7. §. 3. ff. d. administr. tutor.* Cum autem hodie periculosum sit, fœnori pecuniam dare, optime sibi consuleret tutor, si peteret à Magistratu, ut decretum interponat, an huic pecunia sit credenda, quo pacto ab omni periculo immunis erit, conferatur *Illustr. Dn. Stryk. d. Cautel. Contr. Sect. 3. Cap. 2. §. 4.*

Th. XII.

Hodie omnes tutores tam testamentarii, quàm dativi & legimi antequam administrare possunt, opus habent decreto Magistratus, *secund. Reform. Polit. d. Ao. 1548. t. 35. §. 2.* antea gesta autem sunt ipso jure nulla, *Consil. Argent. 9. n. 7.* Decretum vero probant tutores, per tutorium; est autem hoc instrumentum publicum, quod tuto em à iudice competente confirmatum esse, tutelam suscepisse, fidelemque illius administrationem promississe, testatur.

Th. XIII.

Satis prospectum esse pupillo, visum est, si tutor in administratione tutelæ latam & levem culpam tantum præstet, non etiam levissimam *l. 1. pr. ff. d. tut. & rat. distrab. l. 7. C. arbitr. tut. B. Struv. S. J. C. Ex. 31. th. 38.* Imò si adversus heredes tutoris agatur, ne levis

vis

vis quidem culpa præstanda. *vid. C. f. A. l. 27. t. 7. tb. 12. Locam. quæst. Inst. 66.* nisi jam sit lis contra tutorem ipsum contestata, Actio enim tunc cum iis qualitatibus, quæ in persona defuncti locum habebant, adversus heredes porrigitur; aut si ex damno pupilli lucrum captatum, aut per gratiam alteri præstitum sit, *per l. heredes tutorum 1. C. d. hered. tut. l. 4. ff. d. Mag. conven.*

Th. XIV.

Liquidi juris est, tutorem ob dolum in administratione tutelæ commissum fieri infamem, modo doli mentio in sententia facta, *l. 4. §. 2. ff. d. suspect. tut.* alias enim si removeatur suspectus ob causam non significatam à judice in sententia tali casu, remotus manebit integræ famæ *l. 4. §. 1. 2. ff. dt. add. C. f. A. l. 26. t. 16. tb. 12.* Quemadmodum vicissim, si quis non quidem removeatur, sed tamen ob dolum gerere prohibeatur, infamis merito dicendus est, cum non minus tutor esse definiat, quam is qui tutela abire jussus est, *l. 4. §. 3. ff. d. susp. tut.* Locam. *quæstione Inst. 112.* ob culpam latam non æque infamis fit, siquidem in irroganda infamia regulariter culpam latam æquiparari dolo, asserturum est, ob formalem doli & latæ culpæ differentiam *L. f. C. d. susp. tut. l. 7. ff. ad L. Corn. de sicar.*

Th. XV.

Pupillus quoque stare tenetur contractibus à tutore initis *Carpz. l. 5. Resp. 78. n. 5.* sive illi sint in breve, sive in longum tempus initi, quia contractum à tutore ex officio tutelæ recte initum servare debet. *l. 8. ff. d. administr. tut.* modo tutor bona fide contraxerit, si enim dolo aut culpa, pupillus non potest conveniri, sed potius ipsemet. *l. 13. §. 7. ff. d. Act. Empt. Vend.* nisi ex illo dolo pupillus locupletior factus, tum enim catenus tenetur, *d. l. 13.*

Th. XVI.

Communione rerum personæ sine consensu sibi invicem ad lucri communicationem & damni præstationem obligantur; fit vero communis, si pluribus eadem res legata sit, vel donata, in qua re si plures illi concurrant, & quis fortasse rem sibi communem esse

nollet, sed multo magis propriam, communis tamen fit, ac sic ex communione unus alteri obligatur, sed improprie; attamen non minus ex contractu improprio contrahentes sibi invicem obligantur, ac ex contractu proprio.

Th. XVII.

Paetum de stando in communione perpetua, nullas vires habere manifestissimum est, bene tamen si conventum sit, ne intra certum tempus divideretur, per *L. 14. §. 2. & 3. ff. commun. divid.* nec obstat: paeta esse servanda, & ea quæ placuerunt, custodiri debere, *L. 1. pr. ff. d. paet.* quia illud non procedit, si utilitas publica aliud svadeat, interest enim Reipubl. ne inter subditos sint discordia, quas plerumque communionis materia solet excitare, arg. *l. 77. §. 20. ff. d. leg. 2.*

Th. XVIII.

Socii, quibus nonnullæ res assignatæ sunt, in divisione vero convenire nequeunt, optime sibi consulerent, si his remediis uterentur: (1) licitatione, qua negotium ita expeditur, ut plus licitanti res assignetur. *l. 21. §. 1. famil. hercisc. l. 3. C. commun. divid.* (2) Alternatione, ut scil. ususfructus rei alternis annis adjudicetur sociis per *L. 16. §. 2. famil. hercisc.* in qua tamen alternatione opus est, ut certa forma utendi fruendi præscribatur, ne per alternatum usum alter pro altero lucrum etiam cum ipsius rei detrimento capiat. (3) Sorte ut sc. ille rem consequatur, cui per sortem eadem assignata & hæc fors divisoria ab omnibus pro licita habetur. vid. *Dn. Stryk. Caut. Contr. Sect. 3. Cap. 4. §. 12.*

Th. XIX.

Utilis quæstio est, an sumptus studiorum quis in divisione hereditatis conferre teneatur? Nos id merito negamus; Ob manifestum studiorum favorem, quorum causa omnino publica est, quamobrem jura præsumunt, Patrem illos sumptus donasse *L. 50. ff. fam. hercisc.* Imo & æs alienum occasione studiorum in vita Patris à filio contractum, ex communi hereditate

tate solvendum est. *l. 1. §. 16. ff. d. collat. l. 5. C. ad. SCt. Maced.* post mortem tamen Patris invitis fratribus de communibus bonis filius continuare studia non potest, *l. 39. §. 3. ff. fam. hercisc. l. 15. ff. d. mun. & honor.*

Th. XX.

Heres adeundo hereditatem ex quasi contractu legatariis & fideicommissariis ad præstanda legata & fideicommissa se obligare intelligitur. *§. 5. f. d. Obl. quæ quasi ex contr.* an autem id commode extendi possit ad creditores hereditarios, acriter disputatur? Negat Biccus in *Aureis Sect. IV. th. 120.* Nos vero affirmamus ac dicimus, quod heres ex contractu cum defuncto celebrato obligetur; repræsentando enim personam defuncti, videtur etiam tacite confisse ad exsolvenda ejus debita. Bachov. *ad d. §. 5. f. & Disp. 6. d. actio. §. 5.*

Th. XXI.

Is solum repetit, qui nullo jure, neque naturali tantum, neque civili, neque naturali & civili simul, per errorem solvit, ac nihil interest, an error in ipso debito sit, an in personis, ut si quidem sit vere debitum, sed non ei debeatur cui solvitur, aut non debet qui solvit *l. 19. §. 1. l. 65. §. f. ff. d. cond. ind.* Error vero hic facti esse debet, non juris, cum is qui indebitum errore juris lapsus solvit, solum non repetat, juris enim error & ignorantia habetur pro scientia *l. 9. C. ad Leg. Falc.*

Th. XXII.

Dubitans & incerto animo solvens repetitionem habet, per expr. *L. fin. C. d. condict. ind.* Ratio vero hæc est, quod quia hic agitur de re propria amittenda, de nemine autem hoc facile præsumi potest, quod rem suam calliditate quadam, sine spe reversionis aut voluntate exhibendi beneficii, sit alienaturus; & quanquam dubitans in jure, interdum pro sciente habetur *l. 6. §. 4. ff. d. A. & O. H.* quia tamen donare non videtur *l. 10. C. d. donat.* hic pro ignorante & errante habendus *l. 15. ff. q. test. fac. pos.*

B

Th. XXIII,

Th. XXIII.

Accipiens merito obligatur ad indebitum restituendum, cum jure naturæ æquum sit, neminem cum alterius detrimento & injuria locupletiolem fieri. *l. 66. ff. d. cond. ind. l. 206. ff. d. R. J. & actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. l. 19. ff. d. reb. cred.*

Th. XXIV.

Multum refert in accipiente, si simulans alterum induxerit, *l. 43. pr. ff. d. furt. atque lucrandi animo pecuniam acceperit l. 38. §. 1. ff. d. solut.* tunc enim ipse furtum committit, *l. 18. ff. de. condict. furt.* & ad solutum repetendum non datur hæc nostra actio, sed potius condictio furtiva. *L. 18. ff. d. furt.*

Th. XXV.

Condictio indebiti cessat, si quis indebitum solvit ex iis causis, in quibus lis inficiando crescit; nimirum legato ad pias causas *l. 32. §. 2. ff. b. t.* & deposito miserabili, ut puta ruina, incendi, tumultus. *l. 1. §. 1. ff. depos.* his enim casibus non tantum indebitum solvere, quam de dubio litis eventu, qui in duplum crescere potest, transigere videtur, *l. 51. ff. d. pecul.* quæ autem transactionis causa solvuntur, repeti non possunt. *l. 65. §. 1. b. t.*

Th. XXVI.

Solutionis vocabulum strictè acceptum, non quamvis denotat liberationem, sed potius ejus rei debitæ quæ debetur præstationem naturalem, *l. 49. ff. d. solut.* Late vero sumptum quemvis actum significat, quo debitor liberatur ab obligatione quæ creditori devinctus est, & ita magis ad obligationum substantiam, quam ad nummorum solutionem refertur. *l. 54. ff. b. t. l. 176. ff. d. V. S.*

Th. XXVII.

Solutio fieri debet in totum, & non per partes, pars enim debiti invito obtrudi non potest. *l. 41. §. 1. ff. d. Usur.* cum particula-

cularis solutio sæpe non minima incommoda habeat, *l. 3. ff. § 18. §. 4. ff. fam. hercisc.* nisi pacto aliud placuerit, vel jussu Magistratus pro parte fiat solutio, *l. 21. ff. d. R. C. l. 81. §. 1. ff. solut.*

Th. XXIIIX.

Vulgatum est, aliud pro alio invito creditori solvi non posse, *l. 2. §. 1. ff. d. R. C. l. 16. solut.* Adeo ut nec creditor debitum fiscale in solutum accipere teneatur *Carpz. l. 5. Resp. 107.* Invito enim non est auferendum jus ad rem, seu in re, quæ erat in obligatione, Exceptio tamen continetur in *Auth. Hoc nisi C. d. solut.* Ubi si necessitas cogat, veluti cum res quæ debita est, præstari nequit, quoniam perit, aut quia res aliena sit, quæ à Domino absque magno incommodo redimi non potest. Secundo exceptio est in *l. 71. §. 3. ff. d. Legat. 1.* Item excipitur solutio, si volente creditore facta sit, licet enim cuique jus suum remittere.

Th. XXIX.

Dum sæpius contingit debitorem ex pluribus causis creditori esse obligatum, tunc si aliquid solvat debitor, nec declarat, quodnam debitum solutum, æquum est, creditorem solutionem illi debito imputare debere, cujus solutione debitor maxime exoneratur, *l. 1. ff. d. solut.*

Th. XXX.

Si tempus solutionis arbitrio debitoris fuerit relictum, ab invito demum eò mortuo exigi potest; si vero vult solvere, etiam ante diem vel tempus conventum creditori quamvis invito solvit, cum enim dies in favorem debitoris adjectus sit, hinc debitor ante diem solvendo, juri pro se introducto recte renunciat. *l. 37. §. 2. ff. d. V. Obl.* Non autem si dies creditoris gratia adjectus sit, *l. 15. ff. d. annu. legat.*

Th. XXXI.

Solutio in eadem qualitate & bonitate qua fuit tempore contractus, fieri debet. *l. 3. ff. d. R. C. l. 69. ff. d. contrab. empt. licet monetæ bonitas intrinseca fuerit mutata; cum enim valor & materia nummorum mutatur, non invidendum est fortutum lucrum illi, ad quem fortuitum quoque damnum pervenisset. l. 12, C. d. inoffic. Test.*

Th. XXXII.

Habet acceptilatio imaginem veræ & naturalis solutionis ex vi & potestate legis *l. 1. ff. d. accept.* & nihil refert quo idiomate fiat, modo responsio interrogationi congruat. *l. 6. & 7. ff. b. r. nec potest fieri in diem, neque sub conditione L. 4. & 5. eod. nonnunquam tamen sub conditione tacita recipit diem & conditionem, l. 77. ff. d. R. J. Quædam enim expressa nocent, quæ tacite intellecta non efficiunt, l. 195. ff. d. R. J.*

Th. XXXIII.

Non quælibet obligatio tollitur acceptilatione, sed tantum quæ verbis contracta *l. 8. §. 3. ff. b. r.* cum nihil sit tam naturale, quam unum quodque eo genere dissolvi, quo colligatum est. Unde qui solo consensu est obligatus, ipso jure obligatione liberabitur, non vi acceptilationis, sed conventionis, quia hujusmodi obligationes quæ consensu contrahantur contrario consensu pereunt. *l. 100. ff. d. R. J.*

Th. XXXIV.

Per oblationem solennem & legitimam pecuniæ debitæ liberatur debitor ipso jure, cum talis oblatio respectu debitoris effectum solutionis habeat, si omnia requisita adhibita sint (1) ut debitum offeratur realiter. (2) totum cum usuris. (3) destinato loco & tempore. *l. 19, C. d. Usur. l. 9, C. d. solut.*

Th. XXXV.

Pactum liberatorium seu de non petendo hodie æqualem
cum

acceptilatione efficaciam habet, ut hinc quocunque modo quis animum remittendi debitum declaret, acceptilatio facta censeatur, dummodo persona acceptum ferens hujus conditionis sit, ut liberam habeant rerum suarum administrationem & sic donare possit, cum hic revera donatio subsit. Hinc non opus amplius est Aquiliana stipulatione, ut contractus in stipulatum prius deducatur, sed recta via debitum ex quocunque contractu per pactum de non petendo seu liberatorium vel Apocham tolli potest.

Th. XXXVI.

In novatione animus novandi expressis verbis, sc. priorem obligationem debere esse sublatam, est exprimendus, *l. fin. C. h. t. §. 3. §. qvib. mod. toll. oblig.* quod & in delegatione quoque hodie requiritur; quamvis nonnulli Dd. contrarium statuunt, ex ea ratione, cum creditori delegatur debitor, qui eidem promittit stipulando, se eidem soluturum; tamen ad majorem securitatem & ad evitandas lites multum refert, si verba novandi animum exprimentia addantur, & cum delegatio species aliqua sit novationis, omnino quoque nonnulla novationis requisita delegationi competunt. vid. Dn. Hoppii *Examen Inst. qvibus mod. toll. oblig. qv. 19. de Novatione* vero putant Gailius *l. 2. Observ. 33. n. 23.* & Franzk. *Ex. 11. qvæst. 10.* manifestissimas & liquidissimas conjecturas hodie sufficere.

Th. XXXVII.

Ardua est quaestio de pupillo; An sine tutoris autoritate novare possit, quæ videtur hac distinctione expedienda. Si pupillus ante non obligatus, alienam obligationem in se suscipere velit, nihil agit, nec alterum liberat cum ejusmodi promissio nec natura teneat *l. 1. ff. d. novat. l. 59. ff. d. Obl. & Act.* Si vero antea obligatus eidem creditori suo vel etiam creditoris sui creditori promittat, naturaliter obligabitur, & sic obligationem novasse recte dicitur *d. l. 1. in fin. b. t.*

Th. XXXIIX.

Quæritur? an ista pœna adhuc hodie in usu sit & occupatoribus violentis dictanda, si creditores bona debitorum suorum

B 3

pro-

propria autoritate occupent, ut credito priventur & sic obligatio solvatur. Multi negative responderunt; nobis vero affirmantium sententia placet, ac dicimus, quod regulariter bonorum debitoris occupatio à creditore facta, crediti amissione placatur. *l. 13. ff. quod met. can. § l. 7. l. unde vi, pactum tamen de ingrediendo privata autoritate licentiam occupandi quidem indulgere, arg. l. 3 C. d. pignor. sed sub illa conditione, modo nemo resistat, contra resistantem enim opus est iudicio, ne facultati resistendi validè pacto renunciari potest, cum mala quam plurima inde metuenda sint, & ad actum Jurisdictionis pertineat, quæ privatorum pactis mutari non possunt, l. 38. ff. d. pact. vid. Illustr. Dn. Stryk. d. Caut. Contr. Sect. 2. c. 6. n. 34.*

Th. XXXIX.

Ad obligationem tollendam utriusque partis consensus requiritur, quia pro una parte contrahentium, pacto à contractu abire non potest, *l. 1. l. 5. §. 1. ff. d. rescind. vendit.* non enim licet pœnitere altero invito, nisi in societate & mandato, quippe in quibus contractibus, dum integra adhuc res est, & nullius cœperit interesse, tamdiu locus est pœnitentiæ §. 4. *J. d. societ.*

Th. XL.

In obligationibus quæ consensu constant, quam diu res est integra h. e. si nihil dum præstitum sit eorum quæ ex contractu præstari deberent, potest utriusque partis contraria conventionē à contractu discedi, v. g. in emtione venditione, si de pretio convenerint, pretio vero nondum soluto & re vendita nondum tradita, *l. 5. §. 1. ff. d. rescind. vend.* Post autem pretium solutum nuda voluntas non resolvit emtionem, si non actus quoque prioris similis retro agens venditionem intercesserit, *l. 1. C. quand. lic. ab empt. disc.*



94 A 7387

ULB Halle

3


006 301 592



V. 17








B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



13.

XIII

14

D. B. V.
I PUBLICI
ATIO XIII.

De
CONTRA-
ET MODIS
VENDI,

Ad
ad fin. Lib. III. Inst.

vam
RIDERICIANA,
RÆSIDIO

MUELIS STRYKII,
Prof. Publ. Extraord.

rio Majori
R. S. MDCXCIII,
ventilationi
mittit

CLUS SCHMIDT,
ntorat.

LLÆ,
DII, REGIMINIS ELECT, BRAND,
OGR,

